IES-VITICA PRIMA.

QVÒD tanta vniuersi studij Parisiensis trepidatione concurrimus, tam acri tamque solicita singulorum Academiæ ordinum contentione; facit communis, quod in ista causa vertitur, periculi magnitudo. Tentantur in vnius scholæ discrimine fortunæ omnes vniuersitatis, spes patrimoniúmque studiosorum inopum, beneficia Regum, Pontificum, hominum sanctissimorum, prædiorum nostrorum Collegiorúmque firmitas omnium hoc vno iudicio constituenda, aut, quod Deus omen auertat, aduersariorum fraude labefactanda. Id agitur an eorum qui se Domini Iesu Societatem nominare audent, insatiabili auaritiæ patêre, opibus parêre, sacra, profana, aliena debeant omnia; an incolumi Academiæ Parisiensi ornamenta sua, aut, si minùs ea, sua certè membra Collegiáque liceat in posterum, tuta ab istorum cupiditate reti-

nere. Nec enim recuſandum erit, niſi regia poteſtate ac veſtrarum æquitate ſententiarum, illuſtriſſimi Comites, Iudices integerrimi, noua iſtorum molitio euerſa ſit, quin, ſicut in Cenomano cœperint, Choletæum quoque Collegium, quod iampridem occupare conati ſunt, Pleſſiacum, Majoríſque Monaſterij, quæ dudum à B. Martini Turonibus Monachis eblandiuntur, vicina Remorum, Beatæq; Barbaræ, quibus imminent; tum verò cætera Nauarræum atque Sorbonicum, quibus inuident, tandem obtineant, ſi parem nacti ſint Epiſcopo Cenomanico Moderatorem, Adminiſtrum, Tutorémue ſcholarum, qui rem alienam, fidei ſuæ commendatam diſtrahere pretio, ad extraneos transferre audeat, & in ſua commoda conuertere.

Chriſti res eiúſque ſtudioſorum pauperum in mercimonium abducitur: id inſtituunt Sacerdotes, & Epiſcopus ſeu Princeps Sacerdotum; pretium non argentei triginta, ſed, ſicut ſunt iſtorum copiæ majores, Turonicorum argenteorum tria & triginta millia, vendit is cuius erat maximè tueri: emunt, quibus nihil ſatis eſſe poteſt,

quos vrbium amplissima Lutetia, quos vniuersa Gallia orbisque terrarum, si venalis sit, emtores inuenerit. Vendit ille, cui, si prædia beneficiaue Clericorum, si Canonicorum munera, si ordinationes, ipsumque sacerdotium, si altaria, delubra, sacráque omnia, profanæ impiæque pecuniæ commercio mutarentur: sanctum integrumque esse debuit, quod Parisijs in hoc splendore literarum, in hac luce Galliæ, Sole Iustitiæ, Regis in oculis aspectúque positum esset. Emunt, quibus admirabili maximi Regis clementia ab exilio reuocatis eâdem restitutionis suæ lege interdictum est, ne quid in Academias nouæ rei moliantur, ne quid nouæ possessionis acquirant: qui contemta illa regiæ voluntatis, suæq; reuocationis conditione, annis duodecim proximis circa suum Claromontanum, ædes octo: plures ad B. Pauli, vbi vastissima quoque palatia copiosis hominibus locant: ad Germani Suburbium, latifundia; vbique immensas areas, excitandis amplissimis templis, quibus antiqua parœciarum iura disturbent, vbique latas insulas compararunt: in proximo rure ad dextram Sequanæ

ripam, Roquetum & Charonæum, ad ſiniſtram, Iſsiacum & Gentiliacum, hinc inde magnificas ædes, hortos, ambulationes arboribus conſitas, nemora, fontes, viuaria, lacus, vineas, agros: quæ ſi conferrentur in vnum omnia, & amplitudine loci ac vaſtitate, & ædificiorum mole, quamplurimas è clariſsimis Galliæ ciuitatibus longè ſuperarent.

Pactio autem, vt ad rem causámq; veniamus, ijs legibus inſtituta, vt Collegium Cenomanum, ædes eius ſacræ cæteræque, fundi, cenſus, aliena omnia tenenda, poſsdendáque ijs tradantur, qui ſe Ieſuitas appellari volunt. Alumni ſeu alimentarij ſcholaſtici, Burſarios vulgò dicunt, decem fuerant: vnus præterea communis rei Procurator, vnus etiam Collegij Moderator, quorum vterque, Collegarum duorum locum & cõmoda obtinebat: ita quatuordecim Alumni fuerant: ſtatus ille numerus commouetur, pro quatuordecim quinque retinentur, quos alant inter diſcipulos ſuos Ieſuitæ. Merces Epiſcopo proponitur, triginta tria Turonicarum librarum millia, quam ille conferat in ædes ſibi, & vt

posteritatis studio ducitur, Successoribus suis, Lutetiæ comparandas.

Atque, vt in eo primùm gradu consistam, quod caput est totius controuersiæ: quo iure, quanam authoritate, Carolus Bellomanerius venerabilis Cenomanorum Antistes, tantùm sibi licere voluit, non alia præditus administrandi Collegij potestate, quám quæ lege Conditionis, ea fundatio est, ei tribuitur? vt Collegas dicat, atque in eorum mores & studia animaduertat, sufficiat decedentibus alumnis successores, rationes procuratæ rei expendat: id ille si neglexerit, ius sit insignis Ecclesiæ Parisiensis Cancellario inspiciendi, ius sit Archiepiscopo Turonum, inde Lugdunensium, decernendi: si quid ille perperam constituerit, si quid contra statuta Conditorum sanxerit, fas sit Collegis omnibus se suáque aduersus eius iniuriam tueri, eius voluntati obsistere, decreta, signum, tabulas repudiare? Id Luxemburgici testamenti Curatores, qui collegium id, ex amplissimi Cardinalis mente iudicioque excitarunt, diligentissimè prouiderunt, id in primas præcipuásque tabulas retule-

runt, ne quando Conditoris beneficium, ſicut ipſi timuerunt, & ſedulò præmonuerunt, Epiſcoporum Cenomanorum incuria concideret, aut libidine ac temeritate aliò traheretur.

At reuerendus Cenomanicus totam conditionis legem euertit, nouam arbitrio ſuo, in alienam rem inducit, Collegarum numerum à Philippo inſtitutum mouet, Magiſtrum Collegij & Procuratorem ex illius ſuprema voluntate poſitos exturbat, Scholam Academiæ Pariſienſis ornamento præſidióque ſtructam nouis hominibus tradit, quos Philippus Luxemburgicus neſcijt, quos eius ætas felicior ignorauit. Collegium Cenomanum Luxemburgicæ familiæ munus eſt, non Lauardinorum, Carole venerabilis antiſtes, non Bellomaneriorum tuorum. Eſt ampliſſimi Cardinalis beneficium, Epiſcopi quidem Cenomani, non eſt, Epiſcopatus aut Cleri, non Eccleſiæ Cenomanorum eſt. E Philippi Luxemburgici, Morinorum, deinde Cenomanorum Epiſcopi pecunia conditum eſt, non ex Epiſcopatus vel Eccleſię Cenomanicæ fundo munuſculoue vllo.

At quod Cenomanum eſt Collegium, ita enim dicunt & pro magno venditant cauſę ſuę firmamento, ædes olim Cenomanorum Epiſcoporum fuerunt. Fuerunt ędium vetuſtate intercidentium, aut etiam collapſarum, pridem deſertę reliquię, macerię, rudera, quę & ipſa purgata atque auecta ſunt, nouum vt ædificium à Curatoribus Luxemburgici teſtamenti exſtrueretur. Nec ea quidem donata ſunt ab Epiſcopo Cleroque Cenomanorum; vendita ſunt, ſicut & tabulis emtionis liquet, vendita ſunt rudera macerięque: à curatoribus emta eſt area, poſt ſedulam Cenomani Cleri ac Epiſcopi, poſt accuratam Archiepiſcopi Turonum inquiſitionem, annuus cenſus viginti quinque librarum Turonicarum aſſignatus eſt, qui quotannis eo nomine Cenomanûm Epiſcopis à collegio penderetur, ære collegij, ſi quando commodum eſſet, redimendus. Nec ijs quidem collapſarum ædium ſpatijs totius collegij ædificatio comprehenſa eſt: plures è vicinia domus adjunctæ ſunt, primùm à teſtamenti curatoribus, dehinc à collegis, pretio, vt ſeſe fors obtulit, comparatæ. Area quoque à religioſis viris

Majoris Monaſterij fratribus, Collegio Cenomanico data eſt, in qua cum ædes aliæ conditæ, tum eximium ſacellum, quod jam euertendum, vt ex iſta pactione conſtat, Ieſuitis à reuerendo Cenomanico tribuebatur. Itane verô? quod poſt Luxemburgicum beneficium venerandi Abbates Majoris Monaſterij, quē locum Eminentiſſimus Cardinalis tuetur ille qui Francicam dignitatem inuicti Regis auſpicijs vnus omnium fortiſſimè conſtantiſſiméque defendit; quod B. Martini fratres collegio ſuo detraxerint, Cenomano piam in cauſam adiunxerint, id ijs inſciis, id inuitis & repugnantibus ad Ieſuitas perueniat, alios in vſus commutandum? Ideone Collegæ ſuperiores magna viri caſtitate atque parſimonia, ædificationi Luxemburgicæ coemtas ædes adjecerunt, vt in ijs tandem aduerſarij ſui perpetui, ejectis legitimis poſſeſſoribus, exultarent; vt Carolus Bellomanerius Reuerendus Præſul, venditis ijs tectis, nouis ſibi comparatis, amplè magnificéque Pariſijs habitaret, ſi quando eum vitæ Cenomanicæ ruſticique receſſus pœniteret?

Iam

Iam verò qualis eſt iſta iuris legúmque perturbatio? Alumni xiv. ad v. rediguntur. Quinque fiunt! at quatuordecim eſſe iuſſerant, qui è Luxemburgico teſtamento Scholam condiderunt. Ea lege, ea conditione Philippus de ſuo dedit, non de tuo, Carole venerabilis antiſtes, vt ad eum numerum quem eius voluntatis interpretes Curatores teſtamenti deſignarunt, eius beneficium pertineret, non vt ad iſtas anguſtias tuo arbitratu contraheretur: non vt quod illi cum pluribus communicandum inſtituerunt, ad paucos tuo iudicio recideret; quíque locus pauperibus quatuordecim lege Conditionis datur, eum vt tu locupletum quinque conſanguineorum, cognatorum, aut amicorum tuorum liberis aſsignares. Nam ita ſe res habet, illuſtriſsimi Comites. Pactus eſt cum Ieſuitis Epiſcopus Cenomanorum, vt ij quinque, quos reſiduos eſſe voluerunt, cum lautiorum, &c, vt ipſi appellant, honeſtiorum liberis alantur. Eò res videlicet vniuerſa ſpectat, vt qui plurimùm in agro Cenomano ambitione gratiáque apud Epiſcopum valebunt; valebunt autem his moribus ſemper, qui pluri-

mùm opibus in eá diœceſi poterunt : aut ſi qui pecunia Comitatum Epiſcopi famulóſque corruperint, nec enim in Epiſcopo ſuſpicari ſordes & auaritiam licet, eorum liberi in Ieſuitarum diſciplinam tradantur: pauperculíſque duodecim ſtudioſis, quinque locupletes ſubſtituantur.

Sed æquam videri volunt facti ſui cauſam, ſeptē collegas, aut nouem detrahunt, vt vnctiùs reſidui quinq; lautiúsq; veſcantur. At conditionis tabulis non ſolùm diligentiſſimé prohibetur, quod ille venditor, quod emtores iſti volunt, ne definitus à Conditore numerus idcirco minuatur, vt ſit paucioribus alumnis, vnde ſaturi ſint, religioſiſſimè quoque cautum eſt, ne plura commoda duodecim illis aut quatuordecim alumnis poſtmodum adijciantur. Luxemburgici teſtamenti Conditores eam præferunt prodúntque teſtatoris ſapientiſſimi voluntatem, conſtituunt ne collegis quos è pauperibus lectos ali parcè, nam ita loquuntur, parcé tenuitérque præceperunt, iis, duodecim, ſi plures fuerint, ne præter eum cenſum quem aſſignauerunt, vberior alius adjungatur. Non id Epiſcopo Cenomano mut-

are, non Archiepiſcopo Turonum, non Sedis Apoſtolicæ Legato, non Beatiſſimo Papæ, non alij cuiquam mortalium licere voluerunt. Si Collegę duodecim eſſent, Romano Pontifici non liceret. ea mens nempè Conditorum fuit, ea ſententia voluntáſque Teſtatoris, non liceret Sancti Petri ſucceſſori Vicarióque, Chri Cenſum ijs ſuum amplificare, aut amplificandi cuiquam tribuere facultatem. Cenomanorum Epiſcopus ſeptem Collegas exturbabit, atque pretium inde auferet, vt quinque reliqui pinguiùs ſplendidiúſque inter cultos & nitentes pueros diuitum ac beatulorum hominum filios prandeant! Et hoc eſſe lucrum pauperum, hanc eſſe commemorant Cenomanæ Scholæ inſtaurationem!

Age verò, ſi commodum id eſt Cenomanorum Scholæ, Claromontanorum. a. onus atque damnum; cur hominum callidiſsimi iidémque minimè prodigi Ieſuitæ, tanti, alienum emolumentum, ſuum emunt detrimentum? Cur pauper, imò & mendica ſocietas, ea nanque Ieſuitarum religio prędicatur, tria librarum

Turonicarum & triginta millia locupletiſsimo Cenomanorum Epiſcopo dabit? Cur inde pretium vllum capiet, quo ſibi ſedem atque domicilium Pariſiis Cenomanorum antiſtes paret? Ideóne Luxemburgica pecuniâ, macerię tumulíque, lapſarum ædium, quæ Cenomanorum olim Epiſcoporum fuerant; ideo tanti emta ſunt rudera, vt poſtquam Cardinalis ampliſsimi beneficio ædes pauperibus ſtudioſis, à fundamentis ea in area excitatæ eſſent, Collegæ præterea nouas adiunxiſſent, Maius Monaſterium quædam addidiſſet, ea Carolus Bellomanerius venderet omnia, vt ipſe vt ſucceſſores, niſi meliorem iis mentem Deus dediſſet, niſi gregem, niſi ſtationem ſuam amarent, Lutetiæ ſcilicet, laxè ſplendidéque habitarent.

At, commodum id, inquit, non ad vnum me ad ſucceſſores meos Cenomanorum Epiſcopos, ſi modo vti volent, perueniet. Non iam eius conſcientiam appellabo, non ſcrutabor intimos eius animi receſſus arcanámque mentem, quam ſcriptæ ad familiarem, imò Patrem (ſic enim hominem ſæculi, reuerendus Epi-

ſcopus appellat Mœchinerium neſcio quem) Epiſtolæ duæ Caroli manu ſcriptę, nota gentilitii ſtemmatis obſignatę clariſsimè prodiderunt : non quæram, ſibíne maluerit , an poſteritati conſultum : hoc ipſo , quod præ ſe fert, quo ſe tuetur, quid iniquius , quid inhoneſtius eſſe poteſt ? Cur mutatâ , ſeu potiùs euersâ Teſtatoris ſanctiſsimi voluntate, vendita re pauperum ſtudioſorum, locupletiſsimis Cenomanorum Epiſcopis lucrum accedat ? Cur relicta inopibus ſcholaſticis bona diſtrahantur , vt ad Epiſcoporum aulicum luxum transferantur? Reliquit Collegis alumnis ſuis Luxemburgicus Cardinalis , ſtudioſorum egeſtati pium neceſſariúmque ſubſidium, non reliquit alendis copioſorum diuitúmque Cenomanorum Præſulum deliciis, non auocandis à perpetua ſtatione, à legitima debitáque vigilia Paſtoribus opportunas Lutetianas ædes.

Atque hîc, Iudices, videte, quantùm inter Epiſcopos Cenomanicos Philippum Cardinalem , & Carolum Bellomanerium interſit. Nihil contumelioſè , nihil acerbè dicam. Ille ſtu-

diosis pauperibus emit, quod iste detrahit ac vendit. Illius ære maceriæ Parisinarum ædium, quæ Cenomanorum Episcoporum fuerant, iuuandis inopum studiis addictæ sunt. Ille vt specie quâdam liberalis nec inhonestæ voluptatis Episcopos in sua sede ac regione contineret, in suburbano rure, altero ab vrbe lapide, in amœnissimo fundo, qua nitidissimus fluuius Hyena labitur, domum elegantissimam atque magnificentissimam exstruxit, quam Yvriacum Episcopi castellum populares appellant. Carolus eas ædes, incuriâ sitúque obsolescere, in dies ruere atque labefactari videt patitúrque: Lutetianam Philippi Scholam, accepto pretio, diuendit: duo nobilissima sanctissimi Cardinalis Antesessoris sui monumenta euertit, vt relictis Cenomanis, in otio & ambitione Parisiensi resideat; authoribus, éque re pauperum occupata, domum emanendi causam & illecebram minstrantibus Iesuitis.

Veniam iam ad eam, quam summam grauissimamque causam, rem aliam inuadendi, sempiterni aduersarii Iesuitę Ceno-

manus Episcopus tradēdi, commenti sunt: In Collegio Cenomano, inquiunt, nebulones pro scholasticis grassatorésque recipiuntur. Nihil consimili calumniandi facilitate promptius, nihil procliuius est. Vnum omnino iuuenem inuenerunt, de cuius aliqua temeritate ad Prætorem Parisiensem relatum, in quem inquisitum fuerit. At is Cenomanus alumnus non fuit: non satis notus eo domicilio, vt fit, exceptus est. Dederat se in Iesuitarum disciplinam, Claromontanam eorum scholam adibat, cuius nequitia, Præceptorum suorum culpa potiùs quàm earum ædium fuit, quas hospes incolebat, è quibus statim atque mores suos ingeniúmque prodidit, repente dimissus & eiectus est. Quid vnius hospitis, quid hominis ignoti petulantiâ, Alumni adolescentes integerrimi, quid Procurator, quid Moderator, senes innocentissimi, Sacerdotes probatissimi commeruerunt? qui si minùs Sanctè seueréque viuerent, fuit Episcopi Cenomani in eorum mores animaduertere, meliores sufficere, non verò Procuratoris atque Magistri nomen, non

alumnorum numerum delere, & ad extraneos eorum bona fortunáſque transſcribere. Nuper vitiis & accuſatione, Cenomanûm Canonicorum Curia perſonabat, querente inſignis eius Eccleſiæ Theologo: ideone Canonicorum munus & nomen abſtulit, in eorum locum ſortémque Ieſuitas aut aliud ſufficere conatus eſt genus hominum? De Alumnis Luxemburgicis; de Procuratore atque Moderatore Collegij, nemo queſtus eſt vnquam; niſi qui tenues eorum facultates ſuis opibus adiungere ſtuduerunt. Quid Epiſcopi Cenomanorum! Non omnes Caroli Bellomanerii ſimiles fuerunt. Non omnes fortaſſe, pudici, modeſti, continentes, ſobrii, Doctores, potentes exhortari in doctrina ſana, domui ſuæ familiæque benè præpoſiti, non omnes ab iis, qui foris ſunt, teſtimonium bonum habuerunt. An ideo Cenomanorum Epiſcoporum nomen deletum eſt? an Epiſcopatus prædia in alienam manum poteſtatémque venerunt?

Noua verò mirabiliſque Ieſuitarum iſta doctrina, noua Chriſtianæ religio-

nis

nis interpretatio, vſus incredibilis inauditæ pietatis, adornatâ calumniâ vicinos inceſſere, vt iſto nomine in eorum bona inuadant. At ij ſi profligati eſſent, Ieſuitarum erat, qui velut ille de Euangelio, non ſunt ſicut cæteri hominum, vincere in bono malum, admonere, hortari precibus, increpatione, perpetua bonorum ſtudiorum & officiorum contentione, innocentiæ exemplo abducere ab improbitate, non fundo ſuo eiicere, non ſua poſſeſſione exturbare. Quænam, malum! recens illa prioribúſque ſeculis incognita natio ratióque Theologorum: vicinum, ſi tibi minùs vitam moréſque probauerit, domo ſua, patrio auitóque ſolo dimoueas? in id ipſe, pulſo domino, irrumpas? in alienâ te iactes hereditate? quanto ipſe melior, innocentiórque? Dicam enim non inuidiæ concitandæ cauſa, ſed coactus iuſtiſſimæ defenſionis neceſſitate. Quæ mendacium & perditorum adoleſcentum, quæ ganeonum, quæ facinoroſorum hominum ſeges vberior Ieſuitarum Scholis? Vnde impiorum Parricidarum portenta prodie-

runt ? E Claromontano Caſtellus : è Claromontano Collegio furia illa progreſſa abominandis hominum generi conſiliis inſtructa. Neque iam diſcipulos moror : è quibus illa nunquam nominandorum parricidarum portenta extiterunt. Quænam libellorum carnificis manu lacerandorum, & infelicibus lignis vſtulandorum alia officina ? Guignardos, Gueretos, Marianas, Becanos, Suareſios, Santarellos, quot eiuſmodi nominarem, qui regiam imminuere Maieſtatem, regnorum & rerumpubl. fundamenta vertere inſtituerunt ? Quot iam ex iis latebris in dies erumpunt, qui Eccleſiaſtica iura conturbare, ſacram poteſtatem auferre Paſtoribus, Epiſcoporum dignitatem infringere, munus extinguere moliuntur. Artifices idonei ac negotiatores, quibus cum reuerendus Cenomanorum Epiſcopus rei ſacræ commercio miſceatur, & ijs, ædes non ſuas tradat, in quibus ea meditentur & ſcribant, quæ ad Epiſcopos ex orbe Chriſtiano tollendos, referantur.

Id nempè Carolo Bellomanerio placet, vt qui iam in Cenomano docent Bac-

calaurei Theologi duo, docent enim duo pietate ac eruditione præstantes, ei cessare ac silere videantur, qui nihil aduersus regiam potestatem, nihil contra sanctissimam Episcoporum authoritatem, vniuersitatis alumni quippe voce litterísque prodiderunt.

Atque hæc necessariæ defensionis nostræ præsidia nisi reuerendus Episcopus, nisi Iesuitæ vera certáque intellexissent omnia, nisi firmissima & eiusmodi nossent, quibus apud æquos rerum æstimatores & Iudices detrahi nihil posset, nunquam suum illud consilium, Cenomanam scholam inuadendi ac partiendi, ante sex annos initum retractassent, nunquam ipsi iudicio suo condemnassent. Cùm enim fœdam istam pactionem tum primùm instituissent, & à nobis ad Curiæ Parisiensis authoritatem prouocatum esset, non pudore quidem, qui tantam istorum cupiditatem nunquam retardauit, sed certissimæ damnationis metu periculóque territi, pacta eadem illa, quæ iam renouata audent ad vestrorum iudiciorum grauitatem sapientiámque deferre, pacta illa conuen-

táque irrita fecerunt, iȷſque ſe deſiſtere, regij notarij manu nobis ſignificaue-runt. Ita nos ſimplices viros, qui ſui eos facti pœnitere ac pudere credidi-mus, ſimulatione pacis circumuenerunt, quos iam incautos dolis opprimere co-nati, &, ſumtu tædióque ſequendarum litium proterere, ita frontem & os ob-durauerunt, vt veſtrarum acie ſenten-tiarum regiæque vi poteſtatis conficere ſe poſſe confidant. Qui cùm regijs li-teris obrepſerint, cùm regio Sigillo pa-ctionem obtulerint fraudulentam, fictis calumniis in Cenomanum Collegium adornatam, cùm interceſſionem noſtram, cùm ſupremæ Pariſienſis Curiæ grauiſ-ſimum interdictum, cùm ſuum ipſorum iudicium & pacti retractationem reuo-cationémque celarint, ſatis oſtenderunt, quid ab hoc ſanctiſſimo Concilio me-tuere, quid obtinere deberent.

Quamobrem ampliſſimi viri ſpe-ctabiles integerrimi iudices, ad quos ſummæ rei noſtrę conſtituendæ pote-ſtas iuſtiſſimi Regis voluntate delata eſt, ſi vobis piorum teſtamentorum autho-ritas ſancta, quæ Regum ſacroſancta fi-

de ac publica continetur : si nulla cupidorum hominum temeritate commouenda est: si studiosorum inopum fortunæ tuendæ, si neque placet vniuersorum studiorum nomen extingui, nec ad vnam Iesuitarum gentem docendi partes, ac literarum, quod affectant, imperium dominatúmque transferri : prohibete fœdam rerum sacrarum nundinationem: comprimite crescentem in dies séque latiùs efferentem mercatorum istorum auiditatem, qui sortem mittere in pauperum hæreditatem, Christi vestem discindere non milites, sed hinc Episcopus, inde sacerdotes, sibíque diuidere, relicta studiorum vniuersitati præsidia detrahere omnia moliuntur. Ne patiamini per Deum immortalem inopum Cenomanorum & Parisiensis Academiæ possessionem à sempiternis eorum aduersariis occupari, nobis Cardinalis amplissimi beneficium eripi, eius testamenti tabulas violari, supremam voluntatem euerti, muniri Iesuitis viam, parari machinas, quibus Collegia nostra cætera oppugnent, studiosos omnes reliquis stationibus exturbent. Quod

enim hoc vno iudicio decernitis, non potest non eò pertinere, vt vel ad cætera corripienda hominum auidissimorum ardor inflammetur, vel istorum cupiditate restincta, Academiarum pace & incolumitate stabilita, modesti, ac probi omnes ad meliorum partiûm & literarum studia incitentur.

Hominis confirmatum testamentum nemo spernit, aut superordinat. PAVL. 3. *ad* GAL.

